



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 116. Vtrum creari sit proprium compositorum, & subsistentium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

prioritas repugnans inter creationem, & rem creatam explicabitur in resp. ad 3.

16. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Creatio debet esse in eo, quod per creationem perficitur, sed per creationem non perficitur Deus; sed creatura; ergo creatio debet esse non in Deo, sed in creatura.

17. Ad 2. concedo, quod creatio sit quædam creatura, & quoddam accidens creatum spectans ad prædicamenta actionis, passionis, & relationis. Nec sequitur, quod si creatio esset creatura, deberet creati per aliam creationem: nam ultimum determinatum in aliquo genere non debet determinari per aliud determinatum, eo pacto, quo ubicatio non constituitur in loco per aliam ubicatorem, generatio non generatur per aliam generationem: ergo nec creatio creatur per aliam creationem.

18. Ad 3. concedo, quod creatio sit accidens receptum in substantia creata, tanquam in subiecto: e. g. quod Angelus sit subiectum suæ actionis creaturæ. Concedo rursus, quod inter actionem, & substantiam creatam detur aliqua mutua prioritas minus propria, ac non repugnans. Ut enim dixi in *Physic. quæst. 23.* quæ est de mutua causalitate, illa solum mutua prioritas repugnat, per quam duo ita se habent, ut utrumque constituat potentiam, ex qua aliud resultat. In hoc sensu neque creatio passiva est prior natura, quam Angelus, quia potentia proxima, ex qua resultat Angelus, est sola diuina omnipotentia, & non creatio, per quam creationem Angelus non constituitur potens produci, sed actu productus; neque Angelus est prior natura creatione passiva, quia potentia proxima, ex qua resultat creatio passiva Angeli, non est Angelus, sed solum diuina omnipotentia, ex qua resultat Angelus simul, & eius creatio passiva; ergo Angelus, & creatio passiva Angeli non habent propriam prioritatem, sed simultatem naturæ, cum resultent ex eadem proxima potentia, absque eo quod vnum constituat potentiam, ex qua resultat alterum. Habent tamen Angelus, & eius creatio passiva quandam mutuam prioritatem minus propriam, in quantum eo ipso, quod Angelus producit per creationem passivam, habet esse à creatione passiva, & pendet ab illa, tanquam à sua productione; & rursus creatio cum sit Angeli accidens, pendet ab Angelo tanquam à subiecto, in quo ita est, ut non possit esse, quin sit in illò. Quia creatio passiva est accidens pendens à subiecto sine rigorosa posterioritate naturæ, solent dicere aliqui recentiores, quod est accidens adhærens subiecto, non autem inhærens, putantes quod ad inhærentiam requiratur, ut forma pendeat à subiecto cum propria posterioritate naturæ. E conuerso alij recentiores reiiciunt hunc modum loquendi ut nouum, & absurdum, putantes omne accidens, & omnem formam materialem inhære subiecto, solam animam ra-

tionalem, quæ est forma spiritualis, purè adhære subiecto.

19. Ad 4. Respondeo primo, negando maiorem esse veram vniuersalitèr. Nam possunt aliqua mutuo inseparabilia realitèr distinguui, ut dictum est quæst. 32. *Logicæ*, in resp. ad primum.

Respondeo secundo, concedo maiore, & nego minorem. Ut enim dictum est num. 12. eadem res potest creari hac, vel illa creatione, ac proinde potest esse sine hac, vel illa creatione, ac potest separari ab hac creatione; ergo distinguitur secundum rem à creatione, quæ creatur de facto.

QVÆSTIO CXVI.

Vtrum creari sit proprium compositorum, & subsistentium.

S. Th. q. 45. art. 4.

1. **P**rimò videtur, quod creari non sit proprium rerum subsistentium. Nam in lib. de causis, propos. 4. dicitur, quod prima rerum creaturarum est esse; sed esse rei creatæ non est subsistens; ergo creari non est proprium rei subsistentis, imò primò conuenit rei non subsistenti.

2. Secundò videtur compositum materiale constans ex materia, & forma, puta cœlum, terra &c. propriè non creari. Illud enim propriè creatur, quod fit ex nihilo; sed compositum non fit ex nihilo, sed ex suis partibus componentibus, puta ex materia, & forma; ergo compositum propriè non creatur.

3. Tertiò, creatio est prima productio, quæ supponitur secundæ productioni, hoc est naturali generationi: ergo illud primò, & propriè creatur, quod supponitur in omni generatione naturali; sed in omni generatione naturali supponitur materia prima, ex qua fiunt omnia per naturalem generationem; ergo primò, & propriè creatur materia prima, non autem compositum.

4. Respondeo, quod primò, & propriè creantur subsistentia, tum simplicia, ut Angeli, tum composita ex materia, & forma, ut corpora, cœlum, terra &c. ideoque Gen. 1. dicitur. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Probat Sanctus Thomas: nam creari est fieri ex nihilo, ac fieri est accipere esse; ergo illa propriè creantur, quæ propriè accipiunt esse, & habent esse; sed sola subsistentia, seu sint simplicia, seu composita propriè dicuntur esse, & accipere, ac habere esse: formæ autem tum substantiales, tum accidentales, quæ sunt in rebus subsistentibus, non tam dicuntur esse, quam ijs subiectum esse, ac præsertim accidentia non tam sunt entia, quam entis entia: e. g. cœlum, terra, equus, leo, arbor, & alia subsistentia propriè dicuntur esse, forma cœli non tam est, quam

ca cœlum est; forma equi non tam est, quam ea e quus est; ergo sola subsistentia, sicut propriè sunt, sic propriè creantur, cætera sicut non tam sunt, quam ipsi subsistens est, sic propriè non tam creantur, quam concreantur. Deus igitur ab initio primo, & propriè creauit subsistentia, tum simplicia, & immaterialia, nimirum Angelos, tum composita, & materialia, nimirum cœlum, terram; cætera autem, nimirum materias, & formas substantiales, & accidentales, non tam creauit, quam concreauit.

5. Verùm quia hæc spectare videntur ad modum loquendi, libet addere quædam, quæ magis spectant ad quæstionem de re.

Certum igitur videtur primò, quod materia prima suo modo creatur. Ratio est, quia creati est fieri ex nihilo, & non ex subiecto; sed materia prima cum sit primum subiectum, ab initio facta fuit ex nihilo, ac non ex alio subiecto; ergo fuit creata.

6. Certum videtur secundò formas substantiales cœli, ac terræ, si non fuerunt educæ ex potentia materiæ, fuisse creatas. Nam formæ, quæ non educuntur ex potentia materiæ, eo ipso creantur. Virum autem Deus creans cœlum, terram, & elementa, prius natura creauerit materiam primam; ex eaque in posteriori eduxerit formas substantiales cœli, & terræ, an simul cum materia creauerit formas, illas non educendo ex potentia materiæ, non satis constat. Mihi probabilius est hoc secundum, quod nimirum cœlum, terram, eorumque formas præsertim substantiales creauerit sine concursu materiæ. Hoc enim videntur significare verba illa, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.*

7. Certum videtur tertio formas accidentales, cum educuntur ex potentia materiæ, non creari, cum non educuntur, creari. Et quia accidentia eucharistica conseruantur sine concursu materiæ, conseruantur conseruatione creatiua, licet non appelletur creatio, quia nomen creationis significare solet primam rei productionem ex nihilo.

8. Certum videtur quartò post primam creationem rerum formas de nouo naturaliter productas, excepta anima rationali, educi ex potentia materiæ, ac proinde non creari, animam rationalem non educi, & consequenter creari. Est autem anima rationalis forma apta ad per se subsistendum; sed forma apta ad per se subsistendum, non continetur in potentia materiæ, ac non potest ex ipsa educi; ergo debet creari ex nihilo à solo Deo, ut dictum est quæst. 32. de anima.

9. Queritur, vtrum in iustificatione gratia, & habitus supernaturales educantur de potentia subiecti, puta animæ rationalis, an creentur à Deo sine villo concursu subiecti, in quo recipiuntur.

10. Prima sententia antiquorum scholasticorum docet gratiam, & habitus supernaturales non educi ex potentia animæ rationalis,

aut Angeli, sed creari à Deo sine villo concursu subiecti recipientis. Vasquez 1. p. disp. 124. cap. 1. citat pro hac sententia Alex. 2. p. qu. 9. memb. 8. S. Bonauenturam in 2. dist. 26. art. 1. quæst. 2. Scotum in 4. dist. 1. quæst. 3. Gabrielem quæst. 1. art. 2. conc. 3. Capreol. in eadem distinctione, quæst. 1. art. 3. Albiacensem in 4. quæst. 1. Corradum in 1. 2. quæst. 112. art. 1. Dominicum Sotum lib. 2. de Nat. & grat. cap. 9. Vegam lib. 6. super Concil. Trident. cap. 13. Ferrar. 4. contra Gentes, cap. 37. Paludanum in 4. dist. 1. quæst. 1. nu. 28. Caiet. 1. 2. quæst. 110. art. 1. circa solut. 3. & qu. 112. art. 1.

11. Secunda sententia communis recentiorum, quam sequitur Vasquez citata disput. 174. cap. 2. docet gratiam à Deo non creari, sed educi ex potentia animæ rationalis, & animæ infundi; idem dicunt de alijs habitibus supernaturalibus. Vtrum gratia fuerit data Angelis in primo instanti suæ creationis sine villo eorum concursu, ac proinde fuerit cum illis concreata, examinabitur infra, tract. 12. in quo agemus de creatione Angelorum quoad naturam, & gratiam.

12. Dicendum cum hac secunda sententia: gratia, & habitus supernaturales non creantur, sed educuntur ex potentia animæ rationalis, ipsa anima passiuè concurrente, & sustentante.

Probatur primò: nam actus supernaturales fidei, spei, charitatis, visionis beatæ &c. non creantur ex nihilo, sed educuntur ex potentia animæ, ipsa anima præstante suum concursum, non solum passiuum, & sustentatiuum, sed etiam actiuum, & vitalem; ergo proportionaliter habitus supernaturales non creantur ex nihilo, sed educuntur ex ipsa potentia animæ, ipsa anima præstante suum concursum passiuum, & sustentatiuum. Proportionaliter enim debemus philosophari de habitibus supernaturalibus, ac de actibus supernaturalibus.

13. Confirmatur: nam si anima ad actus supernaturales potest concurrere non solum passiuè, sed actiuè, à fortiori ad habitus supernaturales potest concurrere passiuè, ac sustentatiuè.

14. Probatur secundo. Nam ut dicemus quæst. sequenti de potentia obedientiali, potentia obedientialis tum passiuæ, ac sustentatiuæ, tum actiuæ, datur ad illos omnes, & solos effectus supernaturales, qui continentur in adequato specificatiuo potentiarum naturalium; sed intellectus, & voluntas, quæ sunt potentie naturales Angeli, & animæ rationalis, sunt potentie recipiendi species intelligibiles, ac habitus, & actus intelligendi, & volendi, ac proinde habent pro suo adequato specificatiuo species intelligibiles, habitus, & actus intelligendi, & volendi; ergo Angeli, & anima rationalis habent potentiam obedientialem passiuam, & sustentatiuam ad habitus supernaturales intelligendi, ac volendi, non minus, quam habeant potentiam obedientialem

lem actiua ad actus supernaturales intelligendi, & volendi, ac proinde habitus supernaturales non debent creari ex nihilo, sed educi ex potentia animæ rationalis, & Angelorum.

15. Opponunt, & sunt præcipua fundamenta contrariæ sententiæ: gratia dicitur gratia, quia datur sine vilo præcedenti merito, & absque eo, quod homo, vel Angelus habeat vllam potentiam naturalem ad illam; sed si homo, vel Angelus non habet vllam potentiam naturalem ad gratiam, eo ipso gratia non potest educi ex potentia Angeli, vel animæ rationalis, ac proinde debet creari à Deo sine concursu sustentatiuo subiecti, proportionally, ac quia materia, & corpus non habent vllam potentiam sustentatiuam animæ rationalis, anima rationalis non educitur de potentia materiæ, sed creatur à Deo sine concursu materiæ; ergo &c.

16. Confirmant primò: nam ideò anima rationalis dicitur infundi materiæ, & corpori, quia non educitur de potentia materiæ, & corporis: aliæ verò animæ, & formæ, non dicuntur infundi, quia educuntur de potentia materiæ, & corporis; sed gratia dicitur infundi animæ rationali; ergo non educitur de potentia animæ rationalis.

17. Confirmant secundo: nam in Scriptura gratia, & habitus supernaturales dicuntur creari, & homo dum constituitur in gratia, dicitur creari. Ad Ephes. 2. constituti in gratia dicuntur, *Creati in Christo in operibus bonis*; eadem Epist. cap. 4. Iustificatus dicitur: *Homo nouus secundum Deum creatus*: ad Gal. 5. dicitur: *nova creatura*; ergo gratia, & dona supernaturalia creantur.

18. Respondeo primò ad hoc vltimum ex Sancto Thoma 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 3. cuius verba sunt. *Gratia dicitur creari ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, id est in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis, secundum illud ad Eph. 2. Creati in Christo Iesu, in operibus bonis*: ergo Sanctus Thomas docet gratiam creari solum moraliter, hoc est ex nihilo meritorum, non autem physicè, hoc est non concurrente sustentatiue subiecto. Quod autem Sanctus Thomas neget gratiam creari physicè, suadetur etiam ex eo, quod art. 5. huius quæstionis 45. docet nullam creaturam posse eleuari ad creandum etiam purè instrumentaliter; sed 3. part. quæst. 62. art. 1. vt fatentur Thomistæ, docet Sacramenta causare gratiam physicè instrumentaliter; ergo existimat gratiam physicè non creari, sed educi ex potentia subiecti, nimirum Angeli, vel animæ rationalis.

19. Hinc facilè respondeo alijs duabus obiectionibus. Ad primam propositam num. 15. concedo, quod ideò gratia dicitur gratia, quia datur sine vilo præcedente merito, sed nego, quod ideò dicitur gratia, quia nulla datur ad illam naturalis potentia, ne quidem inchoata. Hoc enim repugnat Augustino, qui lib. de Prædest. Sanct. cap. 5. dicit, *posse habere*

fidem, sicut posse habere charitatem natura est hominum: ergo concedit expresse ad fidem, & charitatem, aliosque habitus supernaturales dari naturalem quamdam potentiam identificatam cum ipsa natura, ac proinde gratiam non dici ex eo, quod nulla detur ad illam potentia naturalis, ne inchoata quidem.

20. Ad primam confirmationem, quæ affertur num. 16. Respondeo, quod ideò anima rationalis dicitur infundi materiæ, & corpori, quia cum exigatur à materia, & corpore, nihilominus non educitur ex potentia materiæ, & corporis. At gratia dicitur infundi, quia licet educatur ex potentia animæ rationalis, & Angeli, tamen ab illis non exigitur. Ex diuersa igitur ratione dicitur infundi anima materiæ, ac gratia animæ. Anima rationalis dicitur infundi materiæ, quia licet exigatur à corpore, & à materia disposita, non educitur ex potentia materiæ. Gratia dicitur infundi Angelo, vel animæ, quia licet educatur, non exigitur, sed confertur præter meritum, & exigentiam animæ, vel Angeli.

21. Ad 1. Respondeo, quod dum dicitur, quod prima rerum creaturarum est esse, non significatur, quod creari primò, & propriè conueniat ipsi esse, sed solum significatur, quod per creationem datur rei esse simpliciter, non autem hoc, aut tale esse, cum per generationem supponatur esse materiæ, & solum datur esse substantiale, vel accidentale formæ.

22. Ad 2. distinguo maiorem. Illud propriè creatur, quod fit ex nihilo sui, & suarum partium præexistentium, concedo; quod fit ex nihilo suarum partium tunc existentium, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego conuenientiam. Vt res creetur, debet fieri ex nihilo, ita vt nihil illius, ne materia quidem præsupponatur existere; at non debet fieri ex nihilo, ita vt cum creatur, debeat componi ex nihilo, imò quod creatur, si est compositum, debet componi ex partibus, quæ non sint nihil, sed aliquid: sed cælum, & terra, initio suæ creationis facta sunt ex nihilo, ita vt ante creationem nihil eorum ne materia quidem supponeretur existere: ergo cælum, & terra creata sunt, licet in ipsa creatione composita sint ex partibus existentibus dependentibus ab ipsa creatione.

23. Ad 3. Argumentum probat quidem, quod materia, quia supponitur omni generationi non creatiua, non generatur, sed creatur, at non probat, quod sola materia creatur, sed quod etiam tota composita possunt creari, si tota, & secundum omnes suas partes fiant ex nihilo.

QVÆSTIO CXVII.

Utrum in creaturis detur potentia obedientialis actiua, per quam quodlibet possit diuinitus eleuari ad producendum quodlibet?

1. **V**idetur dari, primo, quia Deus cum sit omnipotens, potest facere omne id, quod non implicat; sed non implicat, ut Deus utatur quolibet ad producendum quodlibet, ex. gr. quod utatur lapide ut instrumento ad producendum Angelum, & utatur aqua ad producendam physicè gratiam in anima; ergo &c.

2. Secundo debemus diuinam omnipotentiam amplificare, non autem restringere; sed dicendo, quod Deus possit uti quolibet ad producendum quodlibet, amplificamus diuinam omnipotentiam; ergo &c.

3. Tertiò ad potentiam, & sapientiam artificis spectat, ut possit producere effectus etiam præstantissimos per instrumenta valde imperfecta, eo pacto, quo egregius pictor potest facere pulcherrimam picturam etiam per penicillum valde imperfectum; sed Deus est artifex infinitè potens, ac sapiens; ergo per quamlibet etiam imperfectissimam creaturam potest producere quemlibet effectum, ac proinde per lapidem potest producere Angelum, &c.

4. Quartò ut causa partialiter concurrat ad effectum, non requiritur, ut contineat omnes, sed sufficit, ut contineat aliquam perfectionem illius; ex. gr. licet intellectus non contineat supernaturalitatem visionis beatificæ, tamen quia continet eius vitalitatem, potest cum lumine gloriæ producere visionem beatificam, lumine supplente id, quod deest intellectui; sed quodlibet ens continet multas perfectiones cuiuslibet alterius entis, ex. gr. lapis continet plures perfectiones Angeli, puta perfectiones genericas entis, substantiæ &c. ergo quodlibet ens simul cum Deo potest producere quodlibet aliud ens, puta lapis simul cum Deo potest producere Angelum, ita ut lapis det Angelo perfectiones genericas, in quibus lapis conuenit cum Angelo, supplente Deo, & dante alias perfectiones, quas lapis non habet, ideoque dare non potest.

5. Quintò non est ratio, cur causa possit obedientialiter à Deo eleuari ad producendum aliquem effectum excedentem naturalem virtutem talis causæ, & non possit eleuari ad producendos quoslibet alios effectus, licet excedant naturalem virtutem illius; sed intellectus potest obedientialiter eleuari ad producendam visionem beatificam, quæ cum sit supernaturalis, excedit naturalem virtutem intellectus; ergo potest eleuari ad producendos quoslibet effectus, licet excedant naturalem

virtutem intellectus; sed si vna ex causis naturalibus potest obedientialiter eleuari ad producendum quodlibet, omnes possunt eleuari, cum sit eadem ratio; ergo &c.

6. Sextò semina, quia sunt instrumenta naturalia plantarum, & animalium, possunt producere plantas, & animalia, quæ sunt multò nobiliora ipsis feminibus: ergo creaturæ, quia sunt instrumenta, ac veluti semina diuinæ omnipotentiae, possunt à Deo eleuari ad producendos quoslibet effectus.

7. Septimò non solum Sancti Augustinus, & Thomas, sed etiam sacrae literæ indicant creaturas ita esse Deo subiectas, & subordinatas, ut Deus possit uti quolibet ad faciendum quodlibet; ergo.

8. Respondeo, quod quia cum Sancto Thoma art. 5. quæst. 45. debemus examinare, utrum creatura possit à Deo eleuari ad creandum, libet præmittere quæstionem vniuersalem, in qua quæritur, utrum quælibet creatura possit eleuari ad producendum quodlibet. In qua quidem quæstione continentur tres quæstiones affines. Prima est, utrum quodlibet subiectum, seu quælibet causa materialis possit diuinitus eleuari ad recipiendam quamlibet formam, & quemlibet effectum formalem. Secunda est, utrum quælibet forma, seu causa formalis possit diuinitus eleuari ad informandum quodlibet subiectum, & ad dandum quemlibet effectum formalem. Tertia est, utrum quælibet causa efficiens possit diuinitus eleuari ad producendum quemlibet effectum. Has tres quæstiones quia solui possunt per vnum principium proportionale, libet simul examinare, ut ex solutione primæ, & secundæ magis elucescat solutio tertiæ, quæ est propria huius loci. Ut autem incipiam à notionibus.

9. Dicendum primò cum omnibus Philosophis, & Theologis. Formæ non possunt diuinitus eleuari ad dandos quoslibet effectus formales, sed solos certos, & determinatos.

Probatur: nam rotunditas ex. gr. est ita determinata ad dandum subiecto effectum, formalem rotundi, ut ne diuinitus quidem possit eleuari ad dandum effectum formalem quadrati, vel triangularis: multo minus potest dare effectum formalem videntis, audientis, intelligentis &c. Idem dic de cæteris formis. Ex. gr. intellectio creata ita est determinata ad dandum subiecto effectum formalem intelligentis, ut neque diuinitus possit eleuari ad dandum effectum formalem volentis &c. Ratio à priori est, quia sicut quælibet forma per se ipsam, & per suam essentiam ita est hæc, ut ne diuinitus quidem possit esse alia, ex. gr. rotunditas ita per se ipsam est rotunditas, ut ne diuinitus quidem possit esse quadratura, sic ita per se ipsam potest subiectum constituere rotundum, ut ne diuinitus quidem possit illud constituere quadratum &c.

10. Dicendum secundò: subiecta non possunt diuinitus eleuari ad recipiendos quoslibet